




GAUDEO.

2nd [illegible] Eng

2nd Ed. in Latin.

Tausch N°. 34.

ALGABE · TOLEETEN · SARDVVEN · MAIER · NAVATRE · RAPELS · GRANATEN

NVRCIEN · TVRCIE · INSVLEN · SIBILIEN · TRANESCEO · GALISSIEN · OCEAVISCHEN · MINORRE · SAOGE · VALENCEN · ALGRECIE · IHERVSALEM · IAHEN · CECILIEN · MICHIE · LEON · CORDVEE · ARRAGON

DE INSVLIS NVPER INVENTIS FERDINANDI CORTESII

ad Carolum V. Rom. Imperatorem Narrationes, cum alio quodam Petri Martyris ad Clementem VII. Pontificem Maximum consimilis argumenti libello.

¶ His accesserunt Epistolæ duæ, de felicissimo apud Indos Euangelij incremento, quas superioribus hisce diebus quidam fratres Mino. ab India in Hispaniam transmiserunt.

¶ Item Epitome de inuentis nuper Indiæ populis idololatris ad fidem Christi, atque adeo ad Ecclesiam Catholicam conuertendis, Autore R. P. F. Nicolao Herborn, regularis obseruantiæ, ordinis Minorum Generali Commissario Cismontano.

¶ Venduntur in pingui Gallina.
Anno M. D. XXXII.





BEATISSIMO AC SANCTISSIMO CLEMENTI SEPTIMO SACRO SANCTAE ROMANAE, AC VNIVERSAlis ecclesiæ Pontifici Maximo, Petrus Sauorgnanus Foro Iulienſis iuris vtriusq; doctor Reuereñ. D. Iohannis de Reuelles Epiſco. Viennenſis ſecretarius, deuotus ſeruus post humillima pedum oſcula beatorum Felicitatem.



NTIQVI omnes coſmagraphi, beatiſſime pater, tam græci, q̃ latini in deſcribenda terrarum machina a Fortunatis inſulis initium habuere: hincq;, hoc eſt a ſolis occaſu, ad ortum proceſſere Sericam vſq; regionem, & Sinarum populos gradus longitudinis centum, & octuaginta continentes. Et ij dimidiam tantum orbis partem deſcripſere bis nonaginta continentem partes, ſeu vt vocant gradus: reliquam vero orbis medietatem penitus intactam reliquere. Nec quid extra Herculis columnas præter Fortunatas inſulas & Heſperidum, contineretur retulere: niſi quæ fabulis potius, q̃ veritati eſſent conſona. Quamuis Athlantici maris nauigatio eiſdem penitus ignota non exiſteret, potiſſimum Carthaginēſibus maiori Aphricæ portioni imperātibus perſcrutata: cum etiam inſulæ Aethiopici maris a Plinio deſcribantur. Qui etiam refert Naturalium libro ſexto, ſuo tempore magnam partem meridiani ſinus nauigari vſq; in Arabicum. Hanc quoq; nauigationem Hannonem Carthaginenſem ſcriptis prodidiſſe ferunt. Sed & Eudoxus quidam, cum Lathyrū regem fugeret, arabicum ſinum ingreſſus Gades vſq; prouectus eſt. Verum iſtę nauigationes omnes ad meridianū mare, & quod Aphricam alluit, factæ ſunt, & inuentis additum eſt. Sed duo illa ſua tempeſtate præclara mundi lumina Ferdinandus Arragoniæ rex, & Heliſabeth Caſtellæ regina, memoriæ indelebilis & immortalis, alias penitus ignotas terras, inſulaſq;, vt puta Fernandinam, Hiſpanam, Sancti Ioannis, & alias innumeras, poſtremoq; oceani continentem, ad quam Petrariam deſtinarunt, felici auſpicio adinuenere. Diuini vero, & inuicti animi Carolus Quintus Romanorum electus Imperator, & Hiſpaniarum &c. rex, in quo auitæ magnanimitatis imago refulget, eorum veſtigijs inhærendo non Germaniæ, Hiſpaniarum, Belgarum, vtriuſq; Siciliæ, Aphricæ, & inſularum omnium, quæ mediterraneo mari ad Symplegades vſq; continētur,

imperio contentus:vlteriores,& hactenus penitus ignotas regiones perscruta-
ri iussit,quarum nomina sunt innumera.Sed cum præclara quædam narratio
per Ferdinandum Cortesium suæ Sacræ Cæsareæ,& Catho,Maiestatis ad eas
nouas inquirendas terras præfectum,eidem Cæsareæ.& Catholicæ Maiestati
transmissa, ad manus meas deuenerit Hispano idiomate conscripta, ne tam
magnanimi,& inuicti animi virtus,quæ Hannibali, & magno illi Alexandro,
considerata militum Hispanorum paucitate,non tantum æquanda ,sed etiam
merito præponēda esset,incognita existeret,& quasi sub modio lateret. Et quo
reliquæ nationes Hispanum idioma non intelligentes,Nouæ maris oceani His
paniæ noticiam,& cognitionem habeant:præsertim cum in ea tot insignes Vr-
bes,varij gentium mores,Idolorum suorum cultus, in sacrificādis mortalibus
ritus,mirabiles meschitæ,innumeræ argenti,& auri fodinæ,& alia plurima sci-
tu digna contineantur:in latinum Hispanis clausulis penitus inhærendo vigin
ti dierum spatio transtuli.Quam Beatitudini Vestræ(cum Narratio considera
tis Cortesij rebus gestis,& circumspectione,summo vere sit digna pontifice: &
ad eam tanq̄ in spiritualibus Dominam, cum pro maiori parte Christi fidem
susceperint,illius cognitio,& noticia pertineat)dedicare constitui.Accipiat igi-
tur Beatitudo Vestra hilari vultu has nostræ translationis primitias,quæ si sti-
lo summo pontifice dignæ non videbuntur,illa mihi clementer indulge-
re dignabitur.Nam felicis mei syderis præcepto,quod,vt has transfer-
rem.iniunxit,parere volui,ne minimam clausulam trāsponerem,
aut immutarem:sed Hispanis clausulis penitus inhærerē.Ac-
cessit & temporis tam breuis angustia,& tantum Historiæ
veritatem hoc libro,non autem eloquij fucum inserere
visum est.Christianæ Reipublicæ Deus Optimus
Maximus diu Bea. Vestram incolumem ser-
uet.Ex Norimberga,quarto idus Febru.
Anno Domini Millesimo quingē
tesimo vigesimo quarto.

EIVSDEM DOCTORIS PETRI SA VORGNANI FORO IVLIENSIS
Ad lectorem Carmen.

Hispanæ gentis facta inclyta, Cæsaris & res
Auspicijs gestas, perlege quisquis eris.
At te non moueat, quoties splendentia verba
Defuerint, spectes ardua facta prius,
His etenim scriptis licuit non esse disertos,
Addere plus vetuit, vertere sic voluit.
Sic magno placitum domino, quem numinis instar
Suspicimus, vel quem carmina nostra canunt,
Temporis & breuitas sic nos celerare coegit,
Forsitan & vulgus sic mea scripta leget.
Ergo præclaris qui gaudes Cæsaris ausis,
Hunc quoq; tu votis concelebrato pijs.
Illius auspicijs q; sunt hæc gesta benignis,
Huius, q; mundo tam memoranda patent.



ARGVMENTVM

FERDINANDVS Cortesius natione Hispanus Sa. Cæs. & Catholicæ Maiestatis in Iuchatan generalis præfectus, vt magnanimi viri mos est, a ciuitate cempoal quindecim leuis armaturę equitibus, & peditibus quingentis Hispanis ad Dominum Muteezuma primatem illarum regionum Dominum subigendum proficiscitur. In itinere milites quidam Didaco Velazquez suadente deficere student, in eos de more animaduertit, iter prosequenti hostiliter obuij fiunt incolæ e Tascaltecal, quos fundit, vincit, & Vasallos Sacræ Catholicæ Maiestati facit vna cum alia prouintia Guaxacingo nomi-

 ne,

ne,illis comitantibus ciuitatem Churultecal capit,diripit,imperataqꝫ faciunt. Nunciat Dominus Muteezuma,ne ad eius regionem proficifcatur. Cōftituit Cortefius proficifci. Tranfcendit mōtes afperrimos,niuib. altiffimis refertos: ex quibus ingēs fumeus globus afcendit vifu mirabile. Hifpanis modis varijs obeffe ftudet,& delere Dominus Muteezuma. Tandem annuente Muteezuma ad celebrem Ciuitatē Temixtitan illius regiam proficifcitur in lacu mirabiliter conftitutam,vifis prius varijs, & egregijs ciuitatibus. Obuius fit Muteezuma omnibus prouinciarum proceribus affiftentibus,varia pompa, & ceremonijs introducitur Cortefius:quo introducto Dominus Muteezuma fe in vafallum fubdit Sacræ Catholicæ Maieftati,& obedientiam exhibet Cortefio, & fuæ nationis originem refert,bergantinos conftruendos curat quatuor præfectus Cortefius:quibus, fi ciuitas defectioni ftuderet, littori milites poffet exponere.In ciuitate Temixtitan exiftenti Cortefio nunciatur,Dominum Muteezuma Qualpopoca cum alijs in Hifpanos in ciuitate Veræ Crucis relictos,concitaffe.Dominum Muteezuma leui carceris gñe mācipat, & Qualpopoca cum coniuratis adduci committit,quem adductum publice comburi iubet. Narrantur a Cortefio miranda Domini Muteezuma palatia ad eius habitationes,narrat præterea varias domos voluptatis caufa extructas,in quibus varia animalium volantium,& quadrupedum genera continentur. Narrat Domini Muteezuma obfequium nullo Chriftiano Principi comparādum, narrat religioforū mores,& habitum,religionemqꝫ,& quibus ex rebus idolorum imagines conflent. Sacrificij modū in pueris,aut alijs maioribus facrificandis,defcribit Mefchitarum,&religiofarum domuum modum.Conuocat Muteezuma proceres omnes eidem Vafallos, vt Sacræ Catholicæ Maieftati fe fubdant iubet, quod exequuntur,& Cortefius auri plurimum, & varia alia emblemata ab eis petit, & obtinet,portum in ea ad naues fufcipiendas inueftigat, & inuenit in fluuio noīe Panuco. Aurifodinas inueftigat,& inuenit plures,& dites.Domos Sa.Catho.Maiefta.extruendas iubet a Domino Muteezuma,quæ mira arte, & celeritate conficiuntur.Narrat aurum,argentum,veftes,vafa,aliafqꝫ ex plumis mira arte contexta munera a Domino Muteezuma Cortefio data,Sacræ Catholicæ Maieftati tranfmittenda.Dum ipfe Cortefius Sacræ Catholicæ Maieftatis res dirigit, æmulus Didacus Velazquez Pamphilum Naruaez octingentis peditibus,octuaginta equitibus, & tormentis plurimis ad ea loca decem & octo nauibus malo animo deftinat,hoc Cortefio nunciato, relictis præfidio Hifpanis in celebri ciuitate Temixtitā,trecentis peditibus ei obuiam proficifcitur, vt quid velit cognofcat:Multa hinc inde eueniunt, vt concordia intercedat: quæ cum non fuccederet,magnanimus Cortefius,Naruaez aggreditur, & capit, & eius milites fibi focios reddit.In ciuitate Veræ Crucis exiftenti Cortefio nunciatur,ab incolis e Culua Hifpanos præfidio ciuitatis Temixtitan impofitos oppugnari.Præfectos cum Hifpanis ad varia loca tranfmiffos magna celeritate conuenire iubet,& nullo repugnāte celebrem ciuitatem ingreditur: quem vna cum Hifpanis in fortilitio aggreditur innumera Indorum multitudo, pluries

fortili-

fortilitio exeunt,domos comburunt,turrim expugnant, multi ex Hispanis interimuntur,& vulnerãtur,& ipse Cortesius vulneratur,a suis Dominus Mutec zuma fortuito casu interficitur. Pluries Cortesium colloquĳs decipere student Indi, Vafer Cortesius intrepidus permanet,annonæ,& commeatuum caritate cum premeretur,ciuitate egredi cum socĳs & auro constituit: & mira difficultate,& periculo egreditur,amissis Hispanis plurimis,& auro. Illum insequuntur Indi per leucas viginti,& die noctuq; assidue eos oppugnãt. Deueniunt ad prouinciam Tascaltecal, benigne excipitur a Dominis illius: vulneribus medicamina adhibent,ex Hispanis moriuntur plures,aliqui manci permansere, & ipse præfectus Cortesius sinistræ manus digitis duobus mutilis,sanitati pristinę nõdum restitutus bellum hostibus e Culua, & fœdere iunctis mouere constituit Cortesius:& incolis e Tascaltecal,& Churultecal opem ferentibus castra mouet contra prouintiam Tepeaca,quam viginti dierum spatio potitur, ex ea quosdam,quia humanis vescũtur carnibus,seruituti ascribit,potitur prouincia Guacachula,& alĳs quibusdam. Bergantinos duodecim construendos curat, quibus ciuitatibus in lacu cõstitutis obesse possit,naues duas ad equos, & arma adducenda cum pecunĳs ad insulam Hispanam mittit. Videbis prælia innumera,& belli euentum ancipitem,& tandem Hispana virtus quãta sit,& quo ingenio polleat Cortesius, lector optime cernes.

DE INSVLIS NVPER INVENTIS A CAROLO V. ROM. IMPERATORE, ad Clementem VII. Pont. Max. lucidissima Petri Martyris Narratio.



EX mearum Decadum libellis in vulgus emissis colligere licet, fugitiuos quosdam ad vicina Darieni appulsos nostrorum libellos admirãtes dixisse: terras se aliquando incoluisse, quorum habitatores instrumentis vterentur eiusmodi: ac politice legibus parentes viuerent, atriaq;, ac templa lapidibus constructa magnifice, plateas, et stratas vias ordine composito, vbi negotientur, haberent. Eas nunc terras nostri reperere: qui autores fuerint, quomodo res processerit, attente audiat Bea. tua: quandoquidem tuo throno subdenda pro tempore in lucem prodeant hæc omnia. De insula Cuba (quam Fernandinam placuit appellare) Hispaniolæ occidentali proxima, Septentrionaliter tamen adeo, vt Cancri tropicus mediam secet Cubam, Hispaniola vero a Tropico distet ad æquatorem gradus aliquot: pauca tetigimus hactenus. In hac insula sex iam sunt oppida erecta. Primarium a diuo Iacobo Hispaniarum patrono nomen sumit. Natiuum est ibi aurum, & montanum, & fluuiale. Auro suffodiendo inuigilatur. Quo anno libelli mei portas clauserunt, tres Hispani ex antiquioribus Cubæ ciuibus, Franciscus Fernandus Corduben. Lupus Ochua Caicedus, & Christophorus Morantes nouas quærere terras instituunt. Est inquietus, & semper magna moliens Hispanorum animus. Tria instruunt eius generis nauigia, quæ appellant Hispani carauellas, proprijs impensis, habita a gubernatore Didaco Velazquez nauigandi potestate. Ex angulo Cubæ occidentali, qui sancti Antonij nomen adeptus est, altum capiunt cum centũ & decem viris. Est hic angulus ad reficiendas naues, & aquationi, & lignationi aptissimus. Cælo tm̃ & aquã contenti sex adnauigant inter zephyrum & Austrum dies ac dimidium, quo tempore sex tantum, & sexaginta se leucas percurrisse arbitrantur. Stabant autem in ancoris vbicumq; sol cadens illos deprehendebat, ne per ignotum pelagus errantes scopulis illiderentur, & arenosis vadis implici ti mergerentur. In insulam incidunt ingentem, nomine Iucatan. Cuius initium accolæ Eccampi vocant, oppidum in littore situm adeunt magnum adeo, vt Cairum illud nostri dixerint. Hospitaliter ab accolis nostri suscipiuntur, ingressi summa repleti sunt admiratione, turritas domos, templa magnifica, vias ordine stratas, ac plateas, & nundinaria, vbi commertia, aguntur reperiũt. Lapideę sunt domus, aut ex lateribus & calce, arte & industria confectæ. Ad prima domorum impluuia, aut primas habitationes per decem, aut duodecim gradus ascenditur. Non tegulis tamen, sed culmis, aut herbarum fruticibus coopertæ sunt. Mutuis se muneribus afficiunt. Bullas aureas ex auro fabrefactas munilia perpulchre formata barbari nostris, nostri autem illis sericeas, ac laneas vestes, vitreos etiã calculos, & aurichalcea tinnabula munera illis grata, quia peregrina, sunt impartiti. Specula floccifaciebant nostra, quia illi lucidiora ex quibusdam lapidibus assequuntur. Vestita est hęc gẽs non lana, quia pecudes non habent, sed gonsapio mille modis, & varijs fucato coloribus. Fœminæ a cingulo ad talum induũtur. Velaminibusq; diuersis, caput, & pectora tegunt, & pudice cauent, ne pes, aut crus illis visatur. Templa frequentant, ad quæ primarij vias ex proprijs domibus lapidibus sternunt. Idolorum culturæ indulgent, sunt recutiti, legibus viuunt, summa fide commercantur permutando sine pecunijs. Crines ornant. Vnde id habuerint interrogati, per interpretes dicunt aliqui, transijsse

Darienes flu.

In Cuba oppida excitata.

Iucatana insula.

aliquando virum quendam formosissimum p eos tractus, qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit. Alij, obijsse lucidorem sole hominem quendam in eo opificio. Certi nihil hebetur. Aliquot ibi dies commorati iam videbantur incolis esse molesti. Nullius enim hospitis est grata mora longa. Commeatum capiunt, recta tendūt ad occidentem, per prouincias Comij, & Maia dictas ab accolis, præterlapsi sunt aquam tantum, & ligna ex itinere capientes. Barbari littorales nostras admirabantur naues mari natantes, ad quas visendas certatim, & fœminæ permixtę viris cum infantibus passim prodibant; nostri ex mari non sine stupore illorum ędificia, sed pręcipue templa littoribus proxima in modum arcium erecta, prospectabant. Iacere tandem ancoras placuit ad leucas centum decem in prouincia, cui nomen Campechium, cuius oppidum est domorum trium milium. Amice se inuicem amplectuntur. Nauticam nostrorum artem, nauigiorum magnitudinem, vela, emplustra, resq; cæteras barbari attoniti admirabantur. Vbi excussorum tormentorum tonitrua, fumosumq;, ac sulfureum odoreq; ignitum senserunt, a deo mitti fulmina arbitrabantur. In atrio nostros regulus benigne magnificeq; hospitatus est. Post sumptas more illorum epulas (in quibus pauones habent, & altilia, volucres, etiam montanas, & nemorales ac aquatiles, perdices, coturnices, turtures, annates, & anseres, cuniculos, vltra hæc lupos, leones, tigres, vulpes, & quadrupedes agrestes, vt apros, ceruos, & lepores) ducti sunt nostri cum regio comitatu ad latum compitum in oppidi latere situ. Ostendunt nostris quadratū quatuor graduū erectū marmoreū ptim ex tenaci bitumine, partim ex lapillis pulpitum, cui hominis inhærebat simulacrum supersculptum, adhærentibus illi duobus quadrupedibus ignotis, qui marmorei hominis vterum vti canes rabidi videbantur velle dilacerare. Serpens bitumine ac lapillis compacta pedum longa septem & quadraginta, vti bos magnus, marmoreum leonem vorans, recenti cruore irrorata simulacro astabat. Proximi erant solo affixi tres tigni, quos tres alij lapidibus suffulti transuersabant. In eo loco reos puniunt, in cuius rei argumentum stratas viderunt innumeras cruore illitas, & confractas sagittas, & mortuorum ossa in vicinam cortem proiecta. Domus & hic sunt ex calce, & lapidibus ædificatæ. Regulo Lazari nomen indiderunt, quia Lazari die terram captarunt. Abeunt ad leucas inde ad occidentem semper quindecim, prouinciam captant nomine Aquanil cuius oppidum dicitur Mosco. Regulus Capoton vltima acuta. Hostiliter inspectat nostros hic regulus, insidias nostris struit, petentibus aquam trans collem proximum fontes esse innuūt, qua iter est per angustas semitas. Ex mutatis in fronte coloribus, & arcuum, & tælorum gestamine fraudem sensere, tendere vlterius nostri recusant, palantes imparatosq; adoriuntur nostros Barbari, mille amplius sternunt nostros fugientes, cœnoso in littore (erat eñ ibi cœnosum mare) implicantur, duos & viginti sagittis transuerberatos perimunt, reliquos maiori ex parte vulnerant. Tribus & triginta inquiunt classis ipsum prætorem Franciscum Ferdinandum fuisse vulneribus percussum, fere nullus euasit incolumis. Si ad monstratos colles processissent, perempti fuissent ad vnum. Mœsti ergo redeunt qui supersunt ad Fernandinam insulam, vnde venerant, ac cum fletu & gemitib. ob relictos & præsentes vulneratos a socijs recipiuntur. His intellectis Cubæ Fernandinæq; gubernator Didacus Velazquez quatuor carauellarū classem instruit cum hominibus circiter trecentis. Huic classiculæ præfecit nepotem suum Iohannem Grisaluam, additis supprætoribus Alphonso Auila, Francisco Montegio, & commendatario Petro Aluarado. Nauclero autem eodem Anthonio alamino prioris Classiculæ rectore. Idem iter capiunt, sed aliquanto australius ad leucas forte septuaginta, turrim ex alto vident eminentē, terrā minime. Turri duce insulam p̄hendunt nomine Cozumellā, a qua suaues se odores olfecisse spacio trium leucarū vēto inde proflante inqunt. Ambitu reperiūt esse leucarū qnq;, ac.xl. plana est gleba fortunatissi-

cunatissima. Aurum habet, sed peregrinum, aliunde allatum, melle abundat, & fructibus hortensibus, volucribus, & quadrupedibus. Est horum incolarum, vt breuibus absoluam, œconomia, & politia, quæ de Iucatana. Domus, templa, viæ, commertia, virorum ac fœmiarum gestamina ex gonsapio, non laneo vel serico. Domus lapideæ culmo contectæ, vbi lapidū pænuria. Sed vbi sit lapicidinarū copia, laminis lapideis conteguntur. Marmoreos postes in plerisq;, veluti apud nos pleræq; domus habent, turres ibi vetustas, dirutarum & vestigia antiquitatem redolentia repererunt. Vna præ cæteris graduum octodecim, vti ad illustria templa conscenditur. Nostras sunt admirati naues, & nauticam artem. Noluissent hospites primo impetu, benigne postmodum eos admiserunt. Turrim conscendunt, duce primario, quem sacerdotem credunt. Vexillum in cacumine sistunt. Regi Castellę imperium adiudicant. Sanctæ Crucis nomen insulæ assignant, quia nostri Maij quinta Sanctę Crucis solemni sunt insulam ingressi. Cozumellam vero inquiunt appellari, a regulo Cozumellao, cuius maiores primos ipse iactat fuisse huius insulæ habitatores. Cameras in turri reperiunt, statuas tum marmoreas, tum fictiles, vrsorumq; simulacra instructa. Quæ vnisono elato cantu innocant, suffumigijs, ac suauibus adolent odoribus, vti penates deos colūt. Res ibi diuina celebrata est. Sunt recutiti. Regulus hic eleganter ex gonsapio velamine indutus pedis vnius digitos abscissos habebat, natanti vorax piscis, qui tuberon dicitur, vno morsu digitos raptauerat. Laute, copioseq; nostros depastus est. Post triduum abeunt, recta tendunt ad occidentem, vident a longe montes. Iucatana erat Insula, quam Cozumella quinq; tantum leucarum spatio dirimit. Iucatanæ latus capiūt, in putato continenti circumeūt illam, sed nequeunt vniuersam ab frequentes scopulos, & arenosa vada. Ad iam notum Boreale latus Alanimus naucler⁹ naues reducit, ad idem oppidum habitatores inuitasse pœnituit. Ad lapidis iactum ab oppido, nostros sistere iubent accolæ. Abire imperant. Aquandi petunt copiam priusquam discedant. Puteum a tergo relictum monstrant, licere inde aquam haurire, aliunde minime inquiūt. Pernoctatum est in vicino putei campo. Diffidunt, barbarorum armatorum milia tria circiter castra locant non longe a nostris, pars vtraq; noctem duxit insomnem. Illi nostrorum eruptionē in pagum, nostri barbarorun impetum repentinum veriti tubarum clangoribus, & tympanorum rebeatu somnolentos excitabat. Vbi illuxit, accedunt barbari, appellant interpretes cubenses nostros quorū idioma, si non idem, affine tamen, face thurea inter vtrumq; agmen accensa, minantur interemptionem, ni prius abire properauerint, quam fax extinguatur, nolle hospites protestantur. Fax consumitur, deuenitur ad manus, perimunt e nostris vnum, quem sagitta male scutatū reperit. Multi feriuntur, ad tormenia, quæ apud puteum erant locata, se reducunt nostri, vt inde globos iaculentur in hostes, retrocedunt ad oppidum Barbari. Milites feruenti animo cupiebant illos persequi, vetuit Grisalua prætor. Inde procedunt ad Iucatanæ calcem vltimum, ducentarum reperiunt esse leucarum amplius productam, ab oriente in occidentem. Portum petunt egregium, cui nomen dedere Portus desideratus, ad terras deinde transfretant alias. Et terram præhendunt aliam Iucatanæ vicinam ab occidente. Dubitatur, sit insula nec ne. Continenti esse connexam suspicantur, est ibi sinus, quem arbitrantur ambitum vtraq; terra. Nil certi. Colluacan, alias Olloan, hæc tellus ab accolis appellatur. Flumen ingens ibi repertum, dat suo furore in pelagus potabiles aquas, spatio leucarum duarū, A prætore Grisaluam appellarunt. Admirati nostras moles, mari natantes barbari. Accolæ vtramq; fluminis ripam, ad sex milia armatorum, scutis aureis, arcub⁹, & sagittis, ensibus latis, & hastis adustis armati obsident prohibituri descensum, & littus tutaturi. Stat ea nocte, pars vtraq; in alis. Prima luce, ecce canoas circiter centum armatis plenas (diximus alias canoas esse lembos vniligneos) & hic sese Cubenses interpretes, & hi sat commode conueniebant in lingua, Pax oblata per interpretes, admittitur. Accedit vna canoa,

reliquæ sistunt. Canoæ rector, quid nostri quærerent per alienas terras, percunctatur. Aurum cupere respondetur, permutatione tamen, non gratuito, aut violenter. Redit Canoa, quid actum sit, regulo referunt nautæ, accersitus venit libens (o narratu dignum pater sancte) Cubicularium ad se vocat regulus, cubicularia ad se iubet afferri ornamenta, vt prætorem ipsum Grisaluam ornet, imperat. A calceo incipit illum auro induere, ocreas, toracem, & quicquid armorũ ex ferro, aut calybe, solet cataphractus nostras proditurus ad pugnam sibi sumere, vniuersum id ex auro miris modis formato, regulus Grisaluæ impartitur. Compensat Grisalua sericeis, laneis, ac lineis vestibus, rebusq; alijs nostratibus. In huius Iucatanæ initio, quando in Cozumellam traiecerunt in canoam piscatoriam inciderunt, nouem inerant hamis aureis piscantes. Accolæ inermes, capiunt omnes nil timentes. Ex illis vnum agnouit hic regulus, se tantundem auri missurum in crastinum pollicetur ad Grisaluam, quãti ponderis vir ille reperiretur. Negauit redemptionem socijs inuitis prætor, illum detinuit, ac discessit, quid vltra iaceat recogniturus. Ad leucas centum circiter Zephyrum semper sinum ingentem reperiunt, in quo tres insulæ paruæ sitæ erant: adeunt grandiorem (Proh crudele facinus pater sancte, proh truculentas hominum mentes. Stomacho claudat portas Beatitudo tua ne perturbetur) pueros puellasq; suis dijs immolant passim. Sunt recutiti. Simulachra, quæ colunt sunt marmorea, quædam alia fictilia, marmoreas inter imagines, extat leo pertusa ceruice, in quam miserorum sanguinem proijciunt ut inde fluat in lacunam marmoream. Qua ceremonia miserorum sanguinem litent, referamus. Non iugulis sed pectoribus apertis ex infausta victima cor eruunt. Ex cuius calido cruore idolorum labia illiniunt, reliquum fluere patiuntur in lacunam. Inde apertum cor, & exta comburunt, gratum illũ dijs fumum fore arbitrantur. Ex idolis vnum est virile, quod inflexo capite, lacunam sanguinariam superinspectat, tanquam acceptans sacrificium hostiarum. Torulos brachiorum, & fœmorum, ac surarum pulpas edunt, si præcipue hostem bello victum sacrificauerint. Riuum concreti sanguinis, veluti ex carnificina exeuntem repererunt, ex insulis vicinis ad id facinoris miseros transportant. Capita, cadaueraq; truncata ibi viderunt innumera, integra etiam, pleraq; velaminibus contecta, vniuersi tractus illi auro gemmisq; abundant. Pererrans insulam, vnus e nostris in duos semifossos vrceolos alabastrinos pulchre laboratos, lapillis diuersorũ colorum plenos, incidit. Aiunt lapillum se reperisse, qui missus est ad gubernatorem. valoris duorum millium Castellanorum auri. Sacrificij hanc insulam appellarunt. Extant & in huius Colluacanæ lateribus aliæ sitæ insulæ, in quibus solæ mulieres inhabitant, sine virorum commertio. Putant aliqui Amazonico viuere more, qui prudentius rem ponderant, cœnobitas esse virgines secessu gaudentes, vti apud nos, & multis in locis virgines vestales, aut Bonæ deæ sacræ. Certis anni temporibus traijciunt viri ad eas, non coitus causa, sed moti pietate, campos, & hortos illis composituri, quo cultu queant vitam ducere. Fama tamen viget, esse alias insulas fœminarum sedes sed corruptarum. Quæ mamillam a teneris vrunt, q̃ facilius queant sagittariam artem exercere, ad easq; traijcere causa coitus viros, fabulam puto. Ad littus ergo Colluacanæ terræ se applicant nostri placide, negotiantur. Aureum regulus cacabum, armillas, torques, bullas, multaq; præterea diuersorum generum monilia, nostris est impartitus. Nostri e contra, nostratibus illum alacrem reddunt. Figere hic pedem, & coloniam deducere cupiebãt, prohibuit Grisalua prætor. Desperatis animis vixerũt eo tempore commilitones in prætorem. Turritis constat ædificijs hæc prouincia, oppidis amplissimis egregia quindecim, & alicubi viginti millium domorum se aliqua vidisse attestantur. Sunt non vbiq; connexæ domus, hortis, & corticibus intersecantibus, multum distantes a se ipsis. Plateas habent mœnijs circumseptas. In quibus fora, & nundinas exercent, vias stratas, furnos, fornacesq;, ac lateres coctos habent. Figulos lignariosq; fabros, & artifices, mechanicarumq;

artium omnium opifices assequuntur egregios. Rothauchanus hic regulus dicitur, regia palmaria, eius oppidum regni domorum aiunt esse quindecim millium. Quando nouos hospites suscipiunt, qui pacem in illis terris admittunt, in amicitiæ fœdus sibi ipsis cum nouacula, vel lapide, sanguinis parumper ex lingua, uel manu, aut lacerto, aut alia quauis corporis parte eruunt, inspectante hospite. Sacerdotes viunt cœlibes, & incorrupti. Quid sit coire nemo intelligit, donec nubat. Nephas, & morte piandum est, aliter accidere. In fœminis mira castitas. Licet vnicuiq; potenti postquam vnam duxerit vxorem, pellices habere quotquot voluerit. Sed nupta adulterio compræhēsa, venditur a marito, primario tamē principi, a q̄ licet mulieris propiquis illam redimere. Nemini non coniugato, phas est se coniugato iungere in mensa, vel eadem lance vesci aut poculo bibere, paremq; se coniugato præbere. Augusto Septembriq; mense quinq; ac triginta dies abstinent, non a carnibus modo, quas assequuntur optimas, sed neq; piscibus vescuntur, aut re aliqua, quæ sanguinem nutriat. Hortensibus, ac leguminibus illas dies peragunt. Menses viginti dierum numero claudunt. Annum vero Mensibus viginti. Aliquot ibi dies lautos egere.

¶ Abeunt littus idem sequuti, regulum conueniunt alium, cui nomen dederunt Ouandus, regulus vbi nostros cupere aurum intellexit, laminas conflatas attulit aureas, se copiam eius metalli desiderare significat prætor per interpretes. Postero die aureum hominis simulacrum, flabellumq;, & auream artificio vario laruam, iubet afferri, calculosq;, serta pectoraliumq; etiam bullarum copiam, diuersorum generum ornamenta variorumq; colorum lapillos nostris est impartitus. Dapibus quoq; lautissimis, psapide conditis, saturantur. In littore inuitatos properanti cursu ex frondentibus ramis, reguli mādato erectis ilico scenis contegebat. Inertes in ramis ferendis familiares regulus percutiebat sceptro, quod manu gestabant. Serui demisso vultū q̄cunq; verba regulus ipsis inferebat patiēter sustinebāt. Interrogatus rex, vbi nā auri tanti colligeretur copia, proximos digito monstrauit montes, & flumina, ab illis decurrētia. Sunt in fluminibus. ac lacubus adeo assueti, vt idem sit illis natare, ac terra incedere. Merguntur fluminibus, quando aurum placet colligere, manusq; arena efferunt plenas, de manu in manum, demum harenam cribrantes, aurum deligunt. Spatio duarum horarum dicunt auro implere cauulam digitalem. De suffumigijs, & odoribus harum terrarum dulcia molliaq; dici queunt, quæ prætermittimus, quia magis ad effœminandos animos faciunt, quam ad bonos mores. Cum ita comparatum sit nescio qua naturę nostræ malitia, vt ad exterorum imitanda vitia, quam virtutes eorum amplectendas plerumq; omnes simus procliuiores. Puerum annorun duodecim oblatum a regulo recusauit Prætor, puellam admisit pulchre ornatam, socijs inuitis puerum abiecit. Vnum ex lapillis ab regulo habitis, scribunt esse valoris duorꝫ milium Castellanorum auri. Discedūt tandem ab hoc regulo, auro & gemmis onusti. Grisalua vnam e carauellis ad patrium gubernatorem destinat ad Ferdinandinam, cum nuncijs & habitis auro & gemmis. Littus interea sequuntur reliqui occidentem versus. Vna vero proximum littus abradebat, qua Franciscus Montegius subprætor vehebatur, duæ per altum tendebant in prospectu. Admirati accolæ rem nouam miraculo ascribunt. Tredecim ad Montegium veniunt canoæ, per interpretes colloquuntur. Benigne se inuicem salutant, supplices orant accolæ, vt descendant, magna pollicētur, si regulum patriæ adierint, precibus eorum negat Montegius se posse annuere, q; socij nimis a se distarent, contentos dimisit tamen datis quibusdam nostratibus muneribus, illis gratis quia ignota sunt. Celebre oppidum aliud adeunt, ad littus se applicant vna tres carauellæ, prohibentur ab accolis descendere, scutis, arcubus plenis pharetris & ligneis, latis ensibus, atque hastis adustis, armati ad nostros prodeunt. Sagittas iaculantur a longe, illi

tormentoru m globulos nostri. Machinarum strepitum admirati, ac furore perterri ti, aufugiunt, pacem optant. Iam commeatus nostris deficiebant, iam quassatæ longis itineribus naues erant, ad insulam igitur Fernandinam, factis, & repertis supra dictis contentus, socij haud quaquam reuertuntur. Nunc diuertendum est parumper, alia nauigatio ptractanda. Dehinc ad alias regrediemur terras, quas nostri repererunt. Didacus idem Velazquez gubernator, eodem fere tempe, quo classem quatuor carauellarum parauerat, aliam destinauit, vnius tantum carauellæ, vno bergantino comite, cum viris quinq; & quadraginta, violentas hi manus in incolas exercuerunt. Idolorum sectatores, & recutiti sunt, propterea licere illos trahere ad aurum suffodiendum, arbitrati sunt. Littori putati continentis proximæ paruæ insulæ multæ vbertate soli, & fortunatissima gleba beatæ. Guauaxam, Guangam, Gintillam, ex vna istarum rapiunt vtriusq; sexus trecentum accolas. Huic insulæ impo suerunt nomen: Sanctæ Mariæ. In carauellam hos inculcant, & ad Fernandinam tendunt. Bergantinum cum socijs quinque ac viginti relinquũt, qui dent operam hominum venationi vlteriori. Portus quem prœhendit carauella, portus Caranatide. Distat is ab oppido insulæ primæ diui Iacobi, leucis ducentis quinquaginta. Est longissima hæc insula, ab oriente protenta ad occidentem, quam Cancri tropicus inter secat. Miserorum vindictam quærente fortuna, e custodibus in terram descendunt quidam, pauci remanent. Nacti occasionem recuperandæ libertatis insulares, raptatis nostrorum telis ruunt in custodes, perierunt sex, reliqui in mare desiliunt. Carauella potiuntur insulares, regere illam didicerãt, redeunt in patriam, sed non primo in eandem insulam, in vicinam descendunt. Carauellam exurunt, tela secum asportant. Lembis traijciunt ad suos, relictos nostros cum bergantino adoriũtur, prosternunt, perimunt partem, qui euasere infelices ad bergantinum profugiunt, arbor est ingens littori proxima, crucem in eius arboris cacumine locant, & superiorem arboris corticem his verbis inscribunt: Vannius Aldarien. Est darien fluuius, in cuius ripa situm est oppidum putati continentis primarium. Re intellecta gubernator in reliquorum auxilium duas propere mittit naues bellatoribus onustas. Sero sapiunt, res acta erat, crucem secuti littus adeunt, literas legunt arbori inscriptas, non ausi sunt fortunam tentare cum desperatis, qui aufugerãt, armatis præcipue eg regie, recedunt: ex insula proxima isti tanquam lepores abducunt vtriusq; sexus quingentos eadem causa arbritati posse iure merito id efficere, quia recutiti, idem his euenit ad Fernandinam applicatis, vnanimes duab⁹ nauibus ferociter aggrediũtur, acriter dimicando. Custodes Hispanos perimunt quosdam, cæteri sese in mare proijciunt ad sociam, quæ proxima erat carauellam, raptatam adoriuntur. Dubia fuit quatuor horarum spatio victoria, pro libertate recuperanda tam fœminæ quam viri rabide Barbari repugnabant, ne adeptam amitterent prædam. Hispani acrius dimicabant, vicerunt Hispani tandem, qui pertractandis armis essent agiliores, in mare se proijciunt victi Barbari, cum lintribus recolliguntur, tum ferro pempti in certamie, tum aquis suffocati circiter centum defuere, ex Hispanis pauci, ad diui Iacobi oppidum, & aurifodinas trahũtur. Ad aliam dehinc tendunt e vicinis insulis, quæ sunt ibi frequentiores quam in nostro Ionio symplegades, quarum congeriem vulgus archipelagus appellat, hostiliter suscipiuntur, quotquot e nauibus descẽderunt perempti, aut percussi sunt. Putant esse insulam quam Ioannes quidam Pontius vnius classiculæ prætor adiuit, & reliquit perturbatus fugatusq; ab accolis, floridam appellauerat quia resurrectionis profesto repererunt hanc insulam. Vocat Hispanus pasqua floridum resurrectionis diem. Sex & viginti inquiunt se vidisse insulas, sed a Colono præterlapsas tanquam Hispaniolæ Cubæq; filiolas, & putati continentis custodes, in quibus venientes Oceani fluctus illidantur. Natiuum in plerisq; granatum aurum repererunt, monilia & isti varia gestant, & laruis vtuntur tum ligneis deauratis, tum aureis ppulchre ornatis, opifices sunt ibi argutissimi. Ex laruis vnam secum at-

cum attulit Franciscus Chieregattus, tuæ Beatitudinis ad nostrum Cæsarem in Hispania nuncius. Ex ea colligere licet quali erant ingenio. Nouacularum structuram mirum est videre, ex lapidibus flauis quibusdam diaphonis vti cristallinis eas formant. Cum eis radunt haud secus ac si ex egregio chalibe factæ essent, sed qđ spectatu dignum est, quando obtusam iam habent ex exercitatione aciem, non cote, non lapide alio, neq; puluere illas acuunt, sed tantum aqua impositæ temperantur Sunt & apud hos instrumentorum, & elegantium rerum genera, quæ longum asset narrare, ac forte tuæ Beatitudini grauibus negotijs implicitæ tædiosum. Redeam⁹ ergo vnde sumus digressi ad Cozumellam iucatanā ac Colluacanā, siue Olloam terras dites, ac elysias recenter repertas, a quib⁹ diuerteram, reuertor. Vbi quāti sint momenti tractus illi cognitum est, Cubæ insulæ habitatores Hispani gubernatore Annuncte nouam classem instruūt carauellarum decem cum viris quingentis, additis (vti leuis armaturæ) equitibus tribus, bergantinis, quorum opera vtuntur ad vadosa littora, frequentiorumq; scopulorum discrimina tentanda. Equos nauibus imponunt quinq; mares, fœmellas sedecim bello aptas. Ferdinandum Cortesium, qui tunc erat prætor vrbanus in Cuba, generalem eligunt classis prætorem. Subprætores Alfonsum Fernandum portucarerium, Franciscum Montegium, Alfonsum auilam. Aluaradum commendatarium Spatensem: Io. Velazquez, diecū ordassum. Ventum sequuntur eundem ab angulo Cubæ vltimo ad occidentem. Quam primo Franciscus Fernandus Cordubensis, mox Io. Grisalua ad prospectum insulæ sacrificiorum, de qua mentionem fecimus, deueniunt. Insperatus acer turbo captare terram vetuit, versis vestigijs illos ad Cozumellam Iucatanæ orientalem fera tempestas transportauit. Portū vnicū hæc insula, cui nomen sancti. Io: porta latine indiderūt. Sex oppidis tm̄ contenta est, & aqua puteali aut cisternali, et fluminib⁹ caret, aut fontibus, quia plana quinq; tantum & quadraginta leucarū spacio ambitur. Aufugiunt incolæ ad syluas nemorales, oppida deserunt præ timore, vacuas domos ingrediuntur nostri, patrijs fruuntur herbis, domorum ornatus variorum colorum, aulea vestesq; ac lodices q̄s amaccas appellāt ex gonsapio natiuo, reperiūt & lib. innumeros. De his vna cum cæteris ad nouum Cæsarem nostrum muneribus aduectis infra late dicemus, perlustrant vniuersam nostri milites compositis tamen agminibus & ordinibus, ne qua vis ingrueret, paucos reperiunt accolas. Vna fœmina comite per interpretem Cubensem ad Iucatanos iuere alias a primis Hispanis abductos. Fœminam hortantur, vt absentes accersat regulos, fœminæ familiares erant accolæ, cum ea ducti, a fœmina vocati per nuncios veniunt reguli, fidem amicitiæ p̄stant, domos patrias alacres repetunt, multa ex raptis supellectilibus restituuntur. Idolatras & recutitos esse reperiunt, pueros, puellasq; Cemibus immolāt. Sunt Cemes nocturnarum lemurum simulacra, quæ colunt: Interrogati a me Alaminus nauclerus, Franciscus Montegius, & Portucarerius nuncij, qui regi munera attulerāt, vnde immolandos haberent pueros puellasq;, ab incolis collateralibus, inquiunt, venum ducuntur, permutatione auri, aut aliarum mercium, nullibi enim feralis monetæ dira solicitudo in tam vasto terrarum spatio habitatores p̄mit. Idem aiunt de reliquis nuper repertis insulis, e quibus duas nominant Lestan & Sestam, vbi nudi degunt, puerorū inopia canibus litant, canes nutriunt comededos, vt cuniculos alit gēs nostra: non sunt latrabiles, rostro vulpino quos ad esum destinant, pullos castrāt, ad sobolem procreandā fœminarū copiā mariū exiguū numerū, vti de ouibus seruāt pastores nostri, piguescūt castrati vsq; quadrimestre mirū in modū. Ab his sacris nostri illos deterrent nephas esse ostendunt, legem petunt quā sequantur. Esse deū vnicū, qui cœlū creauit ac terram, bonorū oīm datorē sub triplici p̄sona vnitum in substātia, facile prosuadent. Cemes p̄fringi patiūtur. Beatæ virginis imaginē depictam a nr̄is p̄bitam in sacro sui templi loco sistunt, templa ac eius pauimēta verrunt & abradūt. Crucem in ipsius dei atq; hois in salutem humani generis supimpositi recordationē adoran-

adorandam receperunt, in templi cacumine vnam ingentem ligneam locant, con-
ueniunt omnes, deiparæ virginis cum tremore reuerenti figuram suppliciter in
templo venerantur. Per interpretes hi accolæ nostris significarunt, esse in Iucata-
na vicina insula Christianos captiuos septem, qui ad eam tempestatibus raptati ap-
pulerunt. Quinq; tm̄ leucaꝝ interuallo dirimitur ab Iucatana insula. Quinquagin
ta viros cum duobus carauellis prætor Cortesius ad id negotij destinat, perquisito
res Cozumellanos tres secum aduehunt cum literis a prætore ad Christianos. Si q
reperiantur quam egregium ficinus sint acturi, si aliquem duxerit, ostendit, rem ar
denter commendat. Ab illis namq; sperat lucidiorem sole se tractuum illorum omni
um noticiam habiturum. Abeunt bonis auibus, sex dies eis assignantur ad reditum,
octo expectarunt, demissos in terram Cozumellanos nuncios trucidatos, aut deten
tos suspicati sunt, illis relictis redeunt ad Cozumellam nostri, de discessu ex Cozu-
mella iā cogitabat classis vniuersa, opposita illam vis maris detinuit. Ecce ab occidē
te canoam inspectant venientem ab Iucatana. Christianum vnum e captiuis adue-
hunt. Septennio vitam is egerat apd̄ Iucatanos, Hieronymum aguillarem nomine
virum astigetanum vandalum, quo gaudio se fuerint inuicem complexi, casus loqua
tur. Infelicem sortem suam, et sociorū vna amissorum enarrat, auditur attentis men
tibus, nec dissonum fore arbitror, nec tuæ Beatitudini molestum, si rem, vt accidit,
recensuero. In meis Decadibus mentio facta est de nobili quodā Aldiuia misso a Da
rianensibus sinus Vrabæ, in putato continēti habitatoribus ad Hispaniolam Admi
ranti Colono proregi, et senatui regis, ad quos pertinet putati continentis remedi
um, significatum, quia rerum omnium pænuria vrgerentur. Sinistris auibus miser
Aldiuia prouinciam suscepit. In Iamaizæ insulæ Hispaniolæ Cubæq; lateralia meri
die prospectu, repentinus vortex in arenosas Syrtes detulit. Ea voracia & cęca va-
da Hispani vocant Viperas: & quadranter viperas, quia ibi multæ naues impli-
cantur, vti viperina cauda lacerti, & obruūtur. Discinditur carauella. Vix Aldiuiæ
& socijs triginta licuit in carauellæ scapham descendere. Sine remis, sine velis rap-
tantur a pelago defluenti. Diximus nanq; in Decadibꝰ, ibi esse maria perpetuo flu-
xu labentia in occidentem. Tredecim errarunt dies, inscij quo tenderent, nil esui ap
tum repererunt vnquam. Septem ex eis consumpsit fames, fuerunt ipsi marinis pis
cibus esca. In Iucatanam transportantur superstites, iam inedia deficientes, in cru-
delis tyranni manus inciderunt: Valdiuiam prætorem, vna & socios quosdam tru-
cidauit, mox immolauit, demū inuitatis amicis comedit. Hostes autem & appulsos
hospites depascunt, de reliquo a carne humana abstinent. Hic Hieronymus aguilla
ris, & socij sex in tertium diem immolandi, seruabantur. Nocte ruptis vinculis, tru-
culenti manus tyranni euaserūt. Ad regulum huic infensum supplices confugiūt,
admittuntur, sed in seruitutem. Miserandum auditu est de huius Aguillaris genitri
ce, vbi rem intellexit, ilico insaniuit præ dolore, licet in nube tātum audierit, filium
in potestatem carnes humanas edentium incidisse. Hæc, si quando carnes assatas in
spectat, aut verubus affixas, clamoribus domum replet, inquiens: En matrem omni
um miserrimam, en filij mei frusta. Habita igitur epistola prætoris Aguillaris p Co
zumellanos nuncios coram regulo Hero (qui Taxamarus dicitur) quid Cozumel
lani afferant de potentia regis eorum, enarrat, qui ad eas partes appulerunt, deq; vi
rorum fortitudine, de illorum beneficentia in amicos, de sæuitia in detrectantes eo-
rum postulata, ac respuētes multa edisserit. Trementem reddidit Taxamarum, dat
operam, ne vt hostes suam ingrediantur ditionem, sed pacato veniāt animo, seruum
rogat, pollicetur Aguillaris pacem, & si opus fuerit contra hostes auxilium & fauo-
rem. Aguillarem dimittit, tresq; illi dat familiares, ita iunctim ex Cozumella traijci
unt in Iucatanam. Inde ad Colluacanam, ad fluuium Alamino nauclero regente, ali
as sub Grisalua repertum tendunt. Fauces eius arenis erant conclusæ, vti de Nilo
Aegyptio legitur flantibus Ethesijs. Propterea non maioribus licuit nauibꝰ aduer-
so flumi

so flumine procedere, quamuis sit alias huiusmodi nauibus aptum suscipiendis. In Bergantinos & nauium lintres ducentos viros in littus exponit prætor. Per Aguillarem pax offertur. Quid sibi velint percontantur accolæ: Dapes inquit Hieronymus Aguillaris. Spatium erat ingens arenosum ad latus oppidi, illuc tendant, insinuant accolæ. Eunt. Postero die afferũt gallinas octo earum more, quæ sunt pauonibus neq; minores, neque insipidiores, suffusci coloris, & tantum Maiicij, quantum vix sufficeret decem famelicis. Est autem Maiicium frumenti granum quo ipsi panem conficiunt, nostro panico non multum dissimile. Protestantur vna vt inde discedant, propere ingens armatorum ad nostros discedere renuentes multitudo concurrit, iterum quid sibi velint per alienas terras vagantes interrogant, pacem se cupere, per Aguillarem respondent nostri, & rerum permutatione dapes, aurumq;, si aurum possident: nolle se pacem aut bellum cum eis, respondent: abeant iterum, ni malint vsq; ad vnum trucidari, nolle abire, nostri inqunt, non habita ciborum copia, quæ alendis militibus præsentibus sufficiat, castrinum adferenda cibaria signant: mentiti sunt, mane sequenti nostris, qui castra locarant in arena, et fuerant pernoctati, tantundem afferunt epularum, & sui reguli nomine iubent abire. Cupere se oppidum videre, & potiores dapes, nostri dicunt. Recusant illi, & terga vertunt submurmurantes, inedia nostri vrgebantur victum quærere coguntur. In terram mittit sub prætores prætor cum viris centum quinquaginta; Per diuersa tendunt ad oppidana rura, e turmis vnam obuij barbari male tractabant, non longe aberant socij, audito strepitu, laborantibus socijs opem ferunt. Alia ex parte prætor tormenta in Bergantinos & scaphas locat, ad littus se applicat cum reliquis militibus, littus tutaturi, & prohibituri descensum, properanti cursu ad pugnam parati, occurrnut barbari, sagittis & iaculis eminus nostros impetunt, feriunt imparatos, viginti circiter tormenta in hostes prætor exonerat, strage globorum & stridore, ac flammarum eruptione perculsi, perturbantur palantes crurum tenus, in aquas se proijciunt, & nostri hostes insequuntur fugientes, vna cum perterritis oppidum ingrediũtur continuo cursu, barbari traijciunt, oppidum, & domos deserunt. Ad fluminis ripam protentum dicunt esse oppidum, quantum non ausim dicere, mille quingentorum passuum, ait Alaminus nauclerus, & domorum quinque ac viginti milium, stringunt alij, ingens tamen fatentur & celebre, hortis intersecantur domus, quæ sunt egregie lapidibus & calce fabrefectæ, maxima industria & architectorum arte. Ad quarum sedes habitabiles per decem & duodecim alicubi gradus ascenditur & spacijs interiectis secantur. Nemini quidem licet vicini murum trabibus onerare, sunt domus omnes trium domorum intercapedine separatæ, culmis tamen & paleis coopertæ maiori ex parte, lapideis laminis pleræq;. Quadraginta hominum milia barbari professi sunt eo die pugnæ interfuisse, victos tamen a paucis ob nouum pugnandi genus cum tormentis, & quia prætor in terram equites sexdecim expoluerat, qui pugnæ interfuerunt, a tergo barbaros adorti, turmas findebant celeri cursu, non aliter quam si greges ouium interficerent, perimendo, feriendo a dextris & a sinistris, miraculo perculsi miseri hæsitabant, neq; exercendi tela locus dabatur, idem animal arbitrabantur hominem equo annexum, vt inde centauris nata est fabula. Duos & xx. dies sunt potiti oppido, laute sub tecto nostri, sub dio barbari esurientes, neq; sunt ausi nostros adoriri, munitiorem oppidi partem, veluti arcem nostri elegerunt, nocturnisq; freti custodijs, suspecti semper eruptionem timentes, somno vacabant. Potanchanum dicitur ab accolis oppidum, ea victoria ibi adepta, Victoriam nostri appellarunt. Mira etiam de atriorum ruralium ad delitias in predijs ædificatorum magnificentia, magnitudine, atq; elegantia, cum solarijs impluuijs, & tabulatis egregijs more nostro, vt quatuor Hispani atrium quoddam rurale ingressi, per horas septem vagati fuerint, nec ob eius magnitudinem exitum reperire potuerunt. Per interpretes tandem, & captos in prælio Regulum & pri-

marios eius accersunt, vt inermes & supplices veniant, data opera parant dicto, domosque quisque repetit suas. Pacem illis præstant, lege proposita, vt ab horrentibus humanorum corporum ceremonijs, erga manes & pernitiosos lemures, quorum simulacra venerantur abstineant. Nostroq; deo Christo, cœli terrarumque satore, ex virgine mundo præstito, & ad humani generis leuamen crucifixo, dirigant preces, mentes, oculosque. Vtque regi nostro Hispano se subditos profiteantur. Pollicentur, verumque quantum breuitas temporis passa est, instruuntur, restitutos nostratibus muneribus contentos reddunt. E cœlo missos arbitrātur viros, qui adeo pauci numero, contra multitudinem ingētem, conserere manum ausi fuerint. Nostros & illi aureis quibusdam donis affecerunt, seruos etiam viginti. His ita relictis, alias eorundem littorum terras, quæsituri abeunt. Sinum repetunt sub Grisalua repertum ab Alamino, cui nomen dedere Bian sancti Iohannis. Bian vocat Hispanus sinum, pacatis animis veniunt accolæ. Ab littore oppidum erat distans miliare, domorum aiunt mille quingentarum, super tumulo erectum. Ad oppidi hospitia inuitant nostros, dimidiam oppidipartem offerunt, si perpetui velint secum esse habitatores. Putant vel Pothanchanensium exemplo perterritos, ad quos iam fama peruenerat, vel sub tali virorum vmbra sperasse in viciuos hostes fauorem & auxilium habituros, perpetuis nanque ac mutuis se bellis conficiunt. Imperij cupiditatem recusant æternam, annuunt temporaneam. Redeuntes ad littus nostros sequitur populus, scenas illis & ramata magalia, summa cum diligentia erigunt, & tutissimis a pluuia tegumibus cooperiunt, castra ibi locant. Ne marcescant ocio, Prætor Alamino nauclero & Francisco Montegio negotium dat, vt illius terræ occidentem inuestigare intendant, fessos interim ipse recreaturus, & curaturus sauciatos. Ituris duobus homines quinquaginta assignauit. Ad hunc vsque sinum leuis erat decursus aquarum, vbi paulo inferius adnauigarunt ad occidentem, ac si ex montibus altis a torrente raptarentur, ita impetus illos æquoris breui spatio, ad quinquaginta transportauit leucas In aquarum concursum incidunt, a læua vasta maris planicies sese ostendit, quæ descendentibus ad occidentem vndis obuiabat. Vti duo ingentia flumina quando conueniunt ex diuerso, ita videbantur a meridie venientes aquæ, tanquam hostibus in ius alienum pedem inferentibus primis possessoribus inuitis, velle obsistere. Ex opposito terram a longe viderunt, & leua & dextera minime, fluctuabant inter eos conflictus vorticibus, agitabantur in diuersa, qui fere illos deglutierant. Sine spe vitæ diu hæsitarunt, flectunt proras aduerso torrente qua venerant luctantes remis, velisq; innixi superare vix poterant impetum. Quando se processisse putarunt, ad minus leucas duas saltem, vna noctium quatuor se fuisse retractos inuenerunt. Vicerunt tandem illud graue certamen, deo fauente. Duas & viginti dies in eo paruo maris spatio consumpserunt. Ad socios tandem redeunt, rem aperiunt, finem eum esse terræ colluacanæ, putatique continentis adiudicarunt, terram a longe visam, & a fronte putant vel continenti nostro annexam, vel Septentrionalibus coniungi plagis, ad Baccalaos de quibus late in Decadibus. Restat adhuc pater sancte res hæc in dubio, detegetur aliquando. Dū Alaminus & Montegius hæc secreta vestigarent, a Regulo prouinciç, qui Multhopunam dicitur, per vnum ex suis proceribus prædicto oppido imperantem, nomine Quintalbitor, multis preciosis mirisq; modis elaboratis muneribus, aureis argenteisq; & lapillis ornatis nostri donantur. Statuunt ad nouum Cæsarem nostrum, de noua colonia deducenda mittere, gubernatore Dieco Velazquez, alias Didaco, inconsulto, qui eos miserat cum mandatis, vt prouincijs pererratis, & redempto auro regrederentur. Consilium ineunt in diuersa tendunt, errorem fore proponūt aliqui. Pars maior suffragatur non esse de gubernatore curandum, quandoquidem res ad maius tribunal, ad regem scilicet deduceretur, vicit populus, a benigno rege commeatum petunt, ad leucas mille duodecim, in gleba fortunatissima condendæ coloniæ locum assignant. Generalem eligunt gubernatorem Prætorem ipsum Ferdinandum Cortesium, non desunt, qui putent, eo inuito. Is magistratus alios creat, ad condendæ vrbis regimen,

Portucarerium, & Montegium, de quibus satis alias, nuncios ad regem mittendos eligunt , eodem Alamino nauclero duce. Quatuor sponte sua primarij nostras visum terras veniunt, Regemq; adeo potentem, vt eius dominium tam in infinitum protendatur. Ducuntur & fœminæ duæ, quæ nostris more patrio pareant, & obsequantur. Suffusca gens est, auricularum torulos vterq; sexus perforat, gemmatosq; aureos perpendiculos ferunt. Sed viri quicquid spacij est inter inferioris labij marginem extremum, & dentium inferiorum radices, perturant, vti nos auro digitis gestandas gemmas circumligamus. In eo labiorum foramine ampliori, lamina subtili retinente interius prodeuntem, argẽteum Carolenum, ęquat eius morulis rotunditas crassitudo digitum. Fœdius me vidisse recordor nunqnam, Putant illi nil esse elegantius sub orbe lunæ. Quo exemplo quam male ruat mens humana in suiipsius cæcitatem, quamque fallamur omnes, edocemur. Existimat Aethiops nigrum colorem albo pulchriorem, & candidus aliter putat, detonsus capillato, barbatus imberbi se credit spectabiliorem. Appetitu ergo vrgente, non ratione persuadente, tendit mens humana ad ineptias huiusmodi, regiturque suo sensu quæque prouincia, vt inquit ille. Vana eligimus a certis, & commodis abhorremus. Vnde habeant aurum satis dictum. Sed vnde argentum nostri sunt admirati. Montes ostendunt altos, horum cacumina perpetuis canescũt niuibus, & paucis anni temporibus verticem ostendunt, ob nubium aut nebularum densitatem. Plana ergo vel mitia montana aurum procreare videntur, asperi vero montes, & gelidæ eorum valles argentum. Aurichalcum etiam assequuntur. Secures bellicas namque, & fissorias, apud hos inueniunt, ferrum aut chalibem minime. Ad munera regi allata veniam⁹, & a libris ordiamur. Diximus libros habere gentes has, libros attulerunt vna cum cæteris muneribus hi Colluacanæ nunc terræ procuratores, nuncij multis. Scriptibilia sunt eorum folia ex interiore arboris tenui cortice sub libro superiore. Rarum aiunt esse, vti videmus, non in salicio aut vlmeo, sed vti fas est in palmularum esui aptarum, tela dura folia exteriora intersecante, veluti retia foraminibus & maculis angustis contexta, bitumie tenaci retiacula illa compingũt. Ad aptatam tunc formam mollefacta conuertunt, & extendunt ad libitum, durefacta liniunt, gispo putandum est, aut aliqua gipso consanguinea materia. Tabellas vidisse Beatitudinem tuam credendum est, gipso in farinam cribrato superfultas, in quibus quicquid venit in mentem, scribi potest, dehinc spongia, vel pannulo deleri, vt denuo reiteretur. Ex fruticum tabellis etiam fabrefiunt libelli, quos magnarum domuum dispensatores per fora secum deferunt, stiloq; metallico merces emptas coaptant, liturandas quando iã in computatorios codices traduxerint. Non foliatim libros quaternant, sed in longum distentant ad plures cubitos. Materias in quadratas reducunt partes non solutas, sed tenaci bitumine flexibili adeo coniunctas, vt ligneis compacta tabellis arguti librarij videantur manus subijsse, quacunq; pateat liber apertus, duæ sese offerunt scriptæ facies, duæ paginæ apparent, totidem sub illis latent, nisi protendantur in longum. Sub vno nanq; folio multa coniuncta folia consistũt. Sunt characteres a nostris valde dissimiles, taxills, hamis, laqueis, stellisq;, ac formis alteriuscemodi lineatim exarati more nostro. Aegyptias fere formas æmulãtur. Interlineatim hoĩm animaliumq; species, regum præcipue, ac procerum depingunt, quare credendum est, gesta ibi esse maiorum cuiusq; regis conscripta, quomodo nostra tempestate videmus sæpenumero chalcographos generalibus historijs fabulosis etiam codicibus, ipsius rei, quæ narratur, ad alliciendos emere cupientium animos, autorum figuras interserere. Arte quoq; grata superiores tabulas ligneas compingunt, nil differre a nostris libris clausi vndentur. Legum & sacrificiorum, ac ceremoniarum ritus, astronomicas computationes, & annotationes quasdam, seminandiq; rationes, & tempora libris commendant. Annum ab occasu heliaco Vergiliarum incipiunt, & mensibus claudunt lunaribus. Menses autem a luna nominant, tunc cum menses signare

intendunt, lunas inquiunt. Lunam eorum lingua tona dicunt. Dies autem a ſole, vnde quot ſoles, tot dies. Eorum idiomate ſol tonaticum dicitur. Alibi tamẽ aliter. Sed nulla ratione moti, annum diſtribuunt in menſes viginti, menſes aũt diebus octo & viginti concludunt. Templa ingentia quæ frequentant, aureis ornant aulæis & ſupellectilibus, gemmis admixtis, quolibet die illuceſcẽte thurificãt templa, piaſque ſpargunt preces ante rerum initia. Horrendum facinus in ſacrificijs, & iſtorum tractuum habitatores omnes pro victimis pueros puellasque immolant, eo modo quo ſupra dictum eſt. Quo tempore ſemina iacit in terram, & cum iam ſpicantur ſegetes, populus ſeruos precio emptos laute depaſtos, & ornatos precioſis veſtib. ſuis cemibus deſtinant immolandos, per dies viginti ſacrificandos circumducunt, tranſeuntes per vicos oppidani ſuppliciter ſalutant, veluti propediem inter celites annumerandos. Acri alia pietate cemes venerantur, ſuum ipſorum ſanguinem offerunt e lingua, hic e labijs, ille ex auribus, aliqui a pectore, vel fœmere, aut cruribus, multi acuta nouacula vulnerati emungunt ſanguinem, quem manu receptum, rotatim proiectum cælum verſus, per templi pauimenta conſpergunt: ita placatos reddi deos arbitrãtur. A villa Ricca .i. noua colonia, diſtant miliaria nouem, domorum quindecim milium, vetere incolarum nomine Cempoal, nouo Sibilla, regulum reperiunt clauſos habentem immolandos ſeruos quinque. Abductos regulus repetiuit, inquiens, perniciem mihi vniuerſoq; regno huic aſtruitis meo. Si ſeruos immolandos mihi aufertis, irati noſtri cemes, ſata omnia ſemenque a gurgulionibus corrodi, vel torrentibus imbribus obrui, ceſſantibus ſacrificijs ꝑmittent. Ne deſperati deſciſcerent Cempoalani, minus malum elegerunt, in pſentiaꝝ rati non eſſe tempus eis inuitis prohibere, quin veteres ritus exerceant. Seruos reſtituerunt. Licet illis ſacerdotes gloriam æternam & ꝑpetuas delitias polliceantur, deoꝝq; familiaritatem, poſt huius ſeculi proceloſos dies: mœſti tamen hæc promiſſa auſcultabant, maluiſſentq; liberari. Sacerdotes quines appellantur, ſingulari numero quin. Cœlibes viuunt & incorrupti, cum timore reuerenti ſacerdotes venerantur. Hoſtium etiã in bello captoꝝ oſſa, carnibus exeſis in faſciculos ligata ad centum pedes ſuſpendunt, veluti victoriæ trophæa, victoꝝ titulis ſuppoſitis. Notandũ aliud San. tuę gratum. Referunt pueros iam anniculos, puellaſq; cum pijs cæremonijs, ſacerdotes in templis aqua in crucem cum vrceolo capiti ſupiniecta baptizare videntur. Verba non ꝑcipiunt, actus & murmura licet animaduertere. Neq; illi, vti Mahumetici aut Iudæi, putant eoꝝ templa violari, ſi alienæ legis quiſquam eoꝝ ſacris intererit. De libris, templis, ac de ſacroꝝ rebus ſatis dictum putamus. Ad alia regi allata munera deueniamus. Duas attulerunt molas vti truſatiles, vnam aureã, argenteam alteram, ſolidas, tenues, cum circumferentia pari ſpithamaꝝ octo & viginti ponderis caſtellanoꝝ eſt aurea, trium milium octingentoꝝ argentea. Diximꝰ caſtellanum eſſe monetam auream, quæ ducatum triente ſuperat. Eiꝰ centrum occupat, veluti regis in throno ſedentis cubitalis imago dimidia, tenus genu veſtita, Cemi ſimilis, eo vultu ꝙ nocturnos lemures pictores noſtri pingere ſunt ſoliti. Cãpus varijs floribus & frondibus effigiatus. Eadem eſt argenteæ facies, fere idem pondus, vtrũq; metallum purum. Aurea etiam grana rudia non conflata in argumentũ auri ꝑatiui, vti lentes, aut ciceres attulerunt. Torques quoq; aureos, quoꝝ alter catenulis conſtat octo, quibus inſerti ſunt lapilli rubri (non pyropi tamen) duo & triginta ſupra centum, virides autem tres & octingenti ſupra centum (non ſmaragdi tamen) eiuſdem ſunt extimationis illi, cuius hi apud noſtros nobiles. Ab eius torquis fimbria tintinnabula aurea pendent ſeptem & viginti figuris, quatuor gemmis auro circũligatis interſecta, dependẽt a ſingulis aurei ꝑpẽdiculi, torqs alter quatuor e catenulaꝝ aureaꝝ ꝑ gyꝝ rubris ornataꝝ lapillis centum duobus, viridibus aũt centũ ſeptuaginta duob. ſex & viginti aureoꝝ tintinnabuloꝝ eleganter comptoꝝ. In ipiꝰ torqs medio decem ſunt inſertæ magnæ gemmæ auro circumligatæ. A qbus centũ ꝑpendiculi ſuſpenſi aurei

egregie

egregie laborati. Coriaceos cothurnos diuersoꝝ coloꝝ afferũt forte duodecim, hos auro, argẽto illos, gemmis alios fultos, coloribus tum glaucis tum viridibus, a singu lis tintinnabula pendent aurea. Tiaras, mitras varijs gemmis insutis, glaucis sapphy ros æmulãtibus refertas portant. De cristis, comis, & flabellis plumeis quid referre queam, non sentio. Si quid vnquam modo honoris humana ingenia in huiusmodi ar tibus sunt adepta, principatum iure merito isti consequuntur. Aurum, gemmasque non admiror quidem: qua industria, quoue studio superet opus materiam stupeo, mille figuras & facies mille prospexi, quas scribere nequeo. Quid oculos humanos sua pulchritudie æque possit allicere (meo iudicio) vidi nunquam. Ignotaꝝ nobis vo lucrum sunt pennæ lucidissimæ; vti pauonum aut phasianorum caudas illisas admi- rarentur, ita & nos illorum pennas, qbus & flabella & cristas conficiunt, & elegan- tia ornant cuncta. Glaucos, virides, flauos, rubros, cãdidos, & suffuscos colores pen nis inesse natiuos inspeximus, auro cuncta illa instrumenta confingunt. Galeas attu lere duas gemmis glaucis cooptas, vnã tintinnabulis aureis fimbriatã, & aureis plu- ribus laminis, duobus aureis calculis tintinnabula sustinẽtibus: altera gemmis eisdẽ, sed qnq; ac viginti est fimbriata tintinnabulis aureis, cristata viridi volucre conũ oc- cupante, cuius pedes & rostꝝ atq; oculi aurei. Singula vero tintinnabula singuli su- stinent aurei calculi, fuscinas quatuor tridentes pennatas varijs coloribus intextas, quaꝝ dentes sunt gemmati filis aureis colligati, eodem ordine sceptꝝ ingens gẽma- tum cum duobus aureis tintinnabulis. Aureũ etiam brachiale, calceos ex corio cer- uino aureo filo consutos, solea candida supiniecta, ex lucido lapillo semiglauco vna & candido, circumseptum sed auro speculũ, sphingem forte lapidem diaphonium. Attulerũt auro circũligatum magni lacerti caput, & cochleas ingentes duas, anates aureas duas, & variaꝝ volucꝝ species aureas, quatuor & pisces cephalos aureos, & ex aurichalco virgam, pẽnis miris modis insuta oĩa. Portauerũt bellicas peltas & an cylia. Scuta. xxiiij. aurea, & argentea quinq;, mitram plumis varijs contextã, in eius fronte media lamina insculta est aurea effigurata ceme idolo. Figuram quatuor aliæ sepiũt in modũ crucis aureæ laminę: varioꝝ animaliũ, leonũ puta, tigriũ & lupoꝝ ca pita, virgis & tabellis formata anĩalia, ipoꝝ corijs supinsutis aurichalceis tintinabulis ornata, & diuersoꝝ aĩaliũ corijs integra, & egregie confecta, Lodices varias gonsa pinas cãdido, nigro & flauo colorib. intextas, duas auro & gẽmis dites, tresq; alias pẽ nis & gonsapio intextas scacoꝝ ludo, ꝙ argumentũ est & scacoꝝ fritillos hr̃e eos in vsu. Aliã, a fronte nigro, candido, rubroq; colorib⁹, intrinsec⁹ rasam sine varietate. Aliã eodẽ modo intextam, aliorum coloꝝ, rota nigra medium tenente, radiata pen- nis lucentibus intermixtis, candidas & alias lodices duas, peristromata, aulæa, sagu lum, ea singuli patrio more viri gestant, & textas interiores, & capitis velamia varia tenuissima, & pleraq; alia pulchra visu magis quã pciosa, quæ arbitror iam tuæ sancti tati tædiosa potius fore, quam delectabila narratu. Prætermitto & innumeras naui- gãtium particulas, de laboribus, egestate, periculis passis aduersis multis, quę in suis annotationibus quisque edisserit, in nostroque regio rerum Indicarum senatu le- guntur. Ex varijs & multis eorum indicibus, & priuatis literis, hæc pauca collegi. Munerum tamen latores, & Ferdinandus Cortesius, classis eius præfectus, & con dendæ coloniæ nouæ in extremis terris autor, a regio Indico senatu contra rectum iustumque fecisse iudicantur, quod inconsulto Cubæ gubernatore, qui eos autorita te regia miserat, prouinciam sumpserint, ab eius mandato alienam, quodque vene- rint (licet ad regem) se insalutato. Per procuratorem eos fugitiuos latrones, & læsę maiestatis reos Cubæ gubernator appellat. Illi aũt se maius multo præstitisse regi obsequiũ, venisseq; ad maius tribunal, arguunt. Petit capite puniãtur, gubernator. Petunt magistrat⁹ isti, & subprætores, tot laborum, & periculorum pręmia. Et præ- mium, & mulcta differtur. Vt pars vtraque audiatur, statutum est, & sancitum. Iam ad Darienenses sinus Vrabæ, in putato continenti habitatores veniamus.

Darienem diximus esse fluuium in occidentale Vrabæ sinus cadentem latus. In huius ripa Hispani coloniam reguloCemato armorum vi pulso, posuere. Coloniæ nomen ex voto pugnæ tempore promisso dixere. Sancta Maria antiqua. Ad hos in calce Decadū diximus fuisse missos eo anno quo scribere desijmus, duce Aria Abulensi, viros mille ducentos, id petente Vasco Mugnoe Balboa, qui prim⁹ australe pelagus, latens hactenus, detexerat, & Darienensibus præerat. Appulso ad Darienem Petro Aria gubernatore cum ampla regia potestate, destinatos per diuersa, cum varijs peditum turmis, diuersos centuriones. Breuibus absoluam, quia horrida omnia, suauia nulla, ex quo nostræ Decades desierunt, nil aliud actum est, nisi perimere, & perimi, trucidare ac trucidari. Ad voluntatem creauerat rex Vascum, nequiuit diu ferre Petri Ariæ imperium, dissederunt animis, confuderunt omnia, intercessit tempus. Io. Caiçedus Franciscanæ religionis pulpitarius Vasco promisit in vxorem dare filiam Petri Ariç. Ars inter rerum compositores, qua conueniant, nulla reperitur, diffident multo magis. Et res ad talem casum deducta est, vt nact⁹ occasionem in Vascum Petrus Aria processu per Prætores vrbanos formato, iugulari Vascum mandauerit, & vna primarios quinq; alios, inquiens Vascum sociosq; defectioni studuisse in mari australi, vbi classiculam nauigiorum quatuor Vascus ipse construxerat, australia putati continentis littora vestigaturus. Dixisse Vascum commilitonibus trecentis, quos secum habebat: En quid viri tot laborum & periculorum meorum participes, alieno subiecti semper imperio erimus? Quis ferre posset iam huius gubernatoris insolentiam? Littora hæc sequamur, quo sors dederit. Et inter tot Elysias prouincias tam vastæ telluris, vnam eligamus, in qua nobisipsis, quod vitæ superest, liberi iam tandem viuere possimus. Quis hominum nos reperire quibit? aut repertis vim inferre? Res ad gubernatorem delata. Vascum ab Austro accersit Petrus Aria, paret dicto Vascus. In catenas conijcitur, negat Vascus tale consilium cogitasse, testes quæruntur malefactorum quæ patrauerat ab initio, dicta colliguntur, morte dignus censetur, perimitur. Ita laboribus & periculis, q̄ subiuit, innumeris miser Vascus quando maiores se titulos adepturum sperabat, finem imposuit. Classiculam Petrus Aria ipsemet, vxore in Dariene relicta conscendit, perscrutaturus littoras. Nondū an redierit intelligimus, neq; ipsi deest fortuna. Iam alius designatus gubernator dictus Lupus Hoca, ex fortunatis insulis, vbi diu extitit prorex, reuocatus ad Darienem. Quid stomachi sit habiturus, si redierit Petrus Aria, boni iudicent, nihil vnquam gloria dignum sub eo actum est. Nimium remissum abinitio fuisse agunt hinc, illinc autem nimis indulgentem, & parum seuerum in corrigendis erroribus. De hoc satis. Postergata quædam repetamus de flumine ingenti Dabaida profundissimo, Dicto a nostris Grandi, qui labitur in vltimum Vrabæ sinus angulum, per portas, vti Nilus in Aegyptium mare, septē. Late de hoc in Decadibus, ꝙ eius montana sint auro ditissima, ex accolarum relatu diximus. Dabaidæ arcana scrutaturi Vascus & prætores alii, compositis agminib⁹ aduerso flumine cum nauibus diuersarum specierum, quater conscenderunt, quadraginta leucas primo, mox quinquaginta, demum octuaginta ex transuerso alias. O ingens facinus. Gens nuda vestitam, inermis armatam profligauit semper, trucidauit ad vnum aliquando, vulneribus confecit omnes, sagittis bella gerunt venenatis, & qua visu hostium carnes assequuntur detectas, ictum figunt certissimum. Habent & iacula quæ pugnæ tempore tam crebra iaculentur eminus, vt more nubis solem hostibus eripiant, habent & ligneos durefactos enses latosque, quibus cominus certant ferociter, si ad manus deueniatur. Et Vascum ipsum multis vulnerbus confecerunt aliquando. Ita flumen Debaida propulsantium accolarum rabie inexploratum relinqtur. Restat, vt de Hispaniola reliquarum insularum genitrice ac ceu primaria earum, deq̄bus narrare instituimus, pauca dicamus. Resarcitus est in ea senatus, quinq; sunt additi iudices, qui vniuersis illis tractibus leges præbeant. Sed propediem in ea colli-

gere au

gere aurum, licet sit auro prægnans, desinent, quia fossores deerunt, ad exiguum mi seri accolæ redacti sunt numerum, quorum opera auro legendo vsi sunt. Absumpti sunt ab intio bellis acribus, fame multo plures, quo anno radicem, qua panem nobili um conficiebant, eruerunt, & a maiicio grano seminando pane populari abstinue- runt, reliquos varij morbi, ignoti hactenus, anno millesimo quingetisimo decimo o- ctauo, qui tanquam morbosas pecudes contagioso halitu eos inuaserant, & vna, ne mentiamur, auri cupiditas, in quo effodiendo, cribrando ac legendo miseros post ia- cta semia, ociosis ludis ac tripudijs, & piscationi, aut parui cuniculi uenationi assue tos inhumane nimis exagitarunt. Iam per regium vniuersum senatum sancitum, est vt liberi reducantur in populos & agriculturæ generationique indulgeant. Ser ui autem & aliunde empti, ad id aurifodinarum opificium trahantur. De auri morti fera fame satis dictum. Auditu est mirandum, quantum in hac insula coalescant om nia. Octo & viginti in ea sunt torcularia erecta, quibus magna saccari copia extor- quetur. Saccareas aiunt cannas altiores crassioresque in hac insula creari quam ali bi vsquam reperiantur, ad crassitudinem lacertalem aiunt, & virilis staturæ ac semis altitudinem nutriri, & quod maius, Valentiæ Hispanæ, vbi ingens saccari copia quotannis elicitur, vbicunque saccareis cannis inuigilatur, quinq; vel sex, aut quan do copiosius, septem phialas cannas quæque radix pturit: in Hispaniola viginti aut triginta interdum. Quadrupedum est in ea copia immensa. Auri rabida sitis a cul- tura Hispanos hactenus diuertit. Triticum augetur in immensum, vt centesimum aliquando reddidisse dicatur, vbi cura sit, in collibus aut montanis iugis, ad Boream præcipue versis, tritico serendo intendere. Coalescunt & vites in eisdem partibus. De arboribus vero cassiam fistulam gignentibus, ex insulis putato continenti vicinis asportatis (de quibus mentionem fecimus in Decadum libellis) quid dicemus? Tan ta est iam copia, vt post paucos annos libram simus vnciæ loco a pharmacopolis ha- bituri. De syluis coccineis, deq; reliquis huius beatæ insulæ prærogatiuis, & natu- ræ in illam porrecta beneficentia, satis multa in decadibus. Placuit tamen pleraque repetere, quia a grandium negociorum mole arbitror ad huiuscemodi re- rum recordationem multorum lectorum ingenia diuertisse, nec la- bia detorquent, quæ sunt sapida, modo materia preciosa preciosis vestibus induatur.

¶R. Petri Martyris de insulis nuper inuentis
FINIS





¶ Coloniæ, Impenſis honeſti ciuis Arnoldi BircKman. Anno Domini M. D. XXXII. Menſe Septembri.



HT